



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Distinct. XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

dem. Tempora enim, vt ait Aug. varia sunt, & loqua-
deo verba sunt mutata non fides. Indubitantes di-
ergo teneamus Deum semper omnia scire, quæ hoc po-
liquando fecit.

DE OMNIPOTENTIA DEI, VBI P RIV
CONSIDERATVR QVARE DICATUR
omnipotens.

DISTINCT. XLII.

*De potentia
Dei in com-
paratione
ad possibilia
qua posse.*

*Ques. 97.
ad princip.*

NVN de omnipotentia Dei agendum est, vb-
prima consideratio occurrit, quomodo vere
Deus dicatur omnipotens: an quia omnia possit,
an tantum quia ea possit quæ vult. Quod n. Deus
omnia poscit, pluribus authoritatibus compro-
batur. Ait enim Augustinus in libr. quæst. vte-
ris ac nouæ legis: Omnia quidem potest Deus, sed
non facit, nisi quod conuenit veritati eius & iusti-
tiae. Idem in eod. Potuit Deus cuncta facere simul,
sed ratio prohibuit, id est, voluntas. Rationem
nempe ibi voluntatem Dei appellavit, quia Dei
voluntas rationabilis est & equissima. Fatendum
est ergo Deum omnia posse.

Quomodo dicatur Deus omnia posse cum nos multa
possimus, quæ ipse non potest. B

Responso.

SED queritur quomodo omnia posse dicatur, cū
nos quædam possimus quæ ipse non pōt. Nō po-
test n. ambulare, loqui, & huiusmodi, quæ à natu-
ra diuinitatis sunt penit' aliena, cum horum in-
strumēta nullatenus habere queat incorporea &
simplex substātia. Quib' respōdendum arbitror,
quod huiusmodi actiones, ambulatio scil. & locu-
tio, & huiusmodi, à Dei potentia alienæ non sunt,
sed ad ipsam pertinent. Licet n. huiusmodi actio-
nes in se De' habere non possit, non n. pōt ambu-
lare vel loqui & huiusmodi, eas tamen in creatu-
ris potest operari, facit n. vt homo ambulet, &
loqua-

it, & loquatur, & huiusmodi. Non ergo per istas actiones diuinæ potentia detrahitur aliquid, quia & quæ hoc potest facere omnipotens.

De aliis obiicitur.

C

SED sunt alia quædam quæ Deus nullatenus Aug. ca. 1.
facere potest, ut peccata: nō enim potest mentiri, li. i. de sym-
nō pot peccare. Sed nō ideo omnipotentia Dei in bolo ad cate-
aliquo detrahitur vel derogatur, si peccare non chumenos.
posse dicitur, quia non esset hoc potentia sed in- Tom. 9.
firmitatis. Si enim hoc posset, omnipotens non es- Selvius.
set: Non ergo impotentiæ, sed potentia imputa-
dum est, quod ista non potest. Vnde August. in
15. libr. de Trinit. Magna, inquit, Dei potentia est Cap. 15. non
non posse mentiri. Sunt n. quædam quæ in aliis lōge à prin.
rebus potentia deputanda sunt, in aliis vero mi-
nime: & qm in aliis laudabilia sunt, in aliis vero re-
prehensibilia sunt: Non ergo ideo Deus min' po-
tens est, quia peccare non potest, cum omnipotēs
nullatenus possit esse qui hoc potest.

Item de aliis opponit.

D

Sunt etiam & alia quædam quæ Deus non po- In lib. i. de
test, vnde videtur non omnia posse: nō enim po- symbolo fidei
test mori vel falli. vnde August. in libr. de symb. ad catechis-
Deus omnipotens non potest mori, non potest menos. ca. 1.
falli, non potest miser fieri nec potest vinci. Hæc in Tom. 9. ad
vtiq; & huiusmodi absit, ut possit omnipotens,
si enim huiusmodi passionibus & defectibus sub- principiū.
iici posset, omnipotēs minime foret. Et ideo mo-
stratur omnipotens, quia ei hæc propinquare nō
valent: potest tamen hæc in aliis operari.

Quod omnipotentia Dei secundum duo
consideratur.

Hic ergo diligenter cōsiderantibus, omnipotē-
tia eius secundum duo apparet, scil. quod omnia
facit quæ vult, & nihil omnino patitur: secundū
vtrūq; Deus omnipotēs verissimè p̄dicatur, quia
nec aliquid est, qm ei ad patiendum corruptionem

Q 4 infers

inferre valeat, nec aliquid ad faciendum impedimentum afferre. Manifestum est itaque Deum omnino nihil posse pati, & omnia facere posse, prætere sola quibus eius dignitas laudetur, eiusque excellentia derogaretur: in quo tamen non est minus omnipotens. Hoc non posse non esset posse, sed non posse Nemo ergo Deum impotentem in aliquo dicere presumat, quia omnia potest quæ posse potentia est & inde vere dicitur omnipotens.

Quibusdam authoritatibus traditur, quod ideo dicitur omnipotens, quia potest quicquid vult.

*Cap. 96. in
fine Tom. 3.*

Ex quibusdam tamē authoritatibus tradituri deo vere dici omnipotens, quia quicquid vult potest, unde Aug. in encycl. Non ab aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creature voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Idem in libr. de Sp. & litera: Non potest Deus facere iniusta, quia ipse est summa iustitia & bonitas. Omnipotens vero est, non quod possit omnia facere, sed quia potest efficiere quicquid vult, ita ut nihil valeat eius voluntati resistere quin compleatur, aut aliquod modo imprimere eandem. Ioan. Chrysostom. in hom. quadam de expositione symboli apostolorum ad principium tom. 5. Omnipotens dicitur Deus quod posse illius non potest inveniri non posse: dicente propheta. Omnia quæcumque voluit fecit. Ipse est ergo omnipotens, ut totum quod vult possit. unde Apostolus. Eius, inquit, voluntati quis resistit? His authoritatibus videtur ostendi, quod Deus ex eo tantum dicitur omnipotens, quod omnia potest, quæ vult, non quia omnia possit.

Determinatio premissarum authoritatum.

Sed ad hoc potest dici, quod Aug. ubi dicit. Omnipotens non dicitur quod omnia possit, &c. tampli & generaliter accepit omnia, ut etiam mala includeret, quæ Deus non potest, nec vult: non ergo negauit eum posse oia, quæ conuenit ei posse.

Si-

*Chrys. hom.
in expositio
ne symboli A
postolorum
ad principium.
tom. 5.*

Psal. 113.

Rem. 9. 6.

Similiter cum dicit. Non ob aliud veraciter dicitur omnipotēs, nisi quoniam quicquid vult potest: nō negat eum posse etiam ea, quæ nō vult, sed aduersus illos, qui dicebāt Deum multa velle, quæ nō poterat, affirmat eū posse quicquid vult, & ex eo verè dici omnipotentē non ob aliud, quā quia potest quicquid vult. Sed caue quomodo intelligas: Pōt quicquid vult se posse, an quicquid vult facere, an quicquid vult fieri. Si n. dicas ideo omni potentē vocari, qā pōt quicquid vult se posse; ergo quicquid & Petr⁹ similiter omnipotens dici potest vel quicquid vult. Libet sanctorum beatorū, qā potest quicquid vult se posse, & potest facere quicquid vult facere. Non n. vult facere nisi quod facit, nec posse, nisi quod potest, sed non potest facere quicquid vult fieri. Vult n. saluos fieri qui saluandi sunt, veruntamen eos salvare nō valet. Deus autē quicquid vult fieri, potest facere. Si n. vult aliquid fieri p se, potest illud facere per se & per se, facit: sicut celū & terrā per se fecit, quia voluit. Si autem vult fieri p creaturam, & per eam operatur: sicut per homines facit domus & huiusmodi artificialia. Et Deus qui dem ex se, & per se potest: homo autem vel Angelus, quantumcunque beatus est, non est potens ex se vel per se.

Oppositiō,

H

Sed forte dices: nec Dei filius potest à se, nec spiritus sanctus, sed sol⁹ pater. Ille n. potest à se, qui est à se: filius autem, quia nō est à se, sed à patre, nō potest à se, sed à patre: & spiritus S. ab utroq;. Ad q̄ dicimus, quia licet filius non possit à se, nec operetur à se, potest tamen, & operatur per se: sic & spiritus S. Vnde Hilar. in lib 9. de Trinit. Natu- *Hilar. post.*
re, inquit, cui contradicis heretice, hæc unitas est, *medium.*
vt ita per se agat filius, nē à se agat: & ita non à se *lib. 9.*
agit, vt per se agat. Per se autem dicitur agere &
potēs esse, quia naturalem habet potentiam eandē

Q 5 quam

quam & pater, qua potens est & operatur: sed quia illam habet à patre, non à se; ideo à patre non à se dicitur posse & agere. Homo autē vel angelus gratitam habet potētiam, qua potens. Ideo ergo vere ac propriè Deus Trinitas omnipotens dicitur, qā per se, id est, naturali potentia potest quicquid vult fieri, & quicquid vult se posse. Nihil n. vult fieri quod non possit facere per se, vel per creaturas, & nihil vult se posse, quod non possit: & omne q̄ vult fieri, vult se posse, : sed non omne quod vult se posse, vult fieri, si enim vellet, fieret: qui avoluntati eius nihil resistere possit.

OPINIO QVORUNDAM DICENTIUM Deum nihil posse nisi quod facit.

DISTINCT. XLIII.

Depotentia
Dei compa-
ratione ad
quantitatē:
ostendens
eius immen-
sitatem, sive
quantum
Deus p̄fit.

Ratio illo-
rum prima.

VIDAM tamē de suo sensu gloriantes, Dei potentiā sub mēsura coartare conati sunt. Cū enim dicunt, hucusque potest Deus, & nō ampli⁹, quid hoc est aliud quam eius potentiam quæ infinita est, concludere & restringere ad mensuram. Aliud enim, non potest Deus aliud facere quam facit, nec melius facere id quod facit, nec aliquid prætermittere de his quæ facit. Istamque primam suam opinionem verisimilibus argumentis, causisque commentitiis. nec non & sacrarum autoritatum testimoniis munire conantur dicentes. Non potest Deus facere, nisi quod bonum & iustum est fieri: non est autem iustum & bonum fieri ab eo, nisi quod facit. Si enim aliud iustum est, & bonum eum facere quam facit, non ergo facit omne quod iustum est, & bonum eum facere, sed quis audeat hoc dicere?

Secunda ratio.

Addunt etiam, non potest facere, nisi quod iustitia eius exigit: sed non exigit eius iustitia, ut faciat,